

Patroni, an Off. s. Marci cum processione et abstinence a carnibus transferri ulterius possit, nimirum ad sequentem feriam 6., quamvis in illa occurrat aliud officium inferioris ritus et dignitatis?

S. C. resp.: Affirmative, sed quoad Processionem et abstinence.

Die 11. Sept. 1847 ad 1. In *Brugen*.

s) Via.

Vd.: *Process. SS. Corp. Chr. (via.)*

Via, per quam procedit processio Lytan., prius de mandato Episcopi ab omnibus in ea habitantibus mundetur. *Caer. Ep. I. II. c. XXII. n. 4.*

8) SS. Nominis Jesu.

Missionarii supplicarunt pro approbatione Lytaniarum Nominis *Jesu*; S. C. vero antiquis decretis inhaerendo et praesertim decreto S. M. Clementis VIII. *abnuil*, cum Ecclesia non consueverit *approbare* alias Lytanas quam communes Sanctorum et S. M. Lauretanae. n. 1410 die 16. Aug. 1642.

Ad petitionem pro approbatione Lytaniarum Jesu ab antiquo tempore in Ecclesia Monialium s. Conceptionis asservatarum, S. C. resp.: Obstat decreta SS. Inquisitionis id expresse prohibentia. n. 2197 die 23. Dec. 1662.

Ad dubium: Quando Episcopus pro publicis supplicationibus injungit in sua Dioecesi recitare publice in templis Lytanas de ss. Nom. Jesu, utrum parochi, scientes easdem Lytanas esse prohibitas, debeant satisfacere huic edicto? S. C. resp.: Dilata et exhibentur Lytaniae et Officium. n. 4237 ad 14 die 22. Sept. 1753.

GERMANIAE.

Hactenus ab immemorabili tempore in tota Germania multi Principes et Episcopi per literas demandantes et

ad S. R. C. transmissas exposuerunt, quod frequentissimus usus et maxime devotio Populi fuit, ut tam in privatis orationibus domi quam in publicis Processionibus et conventibus, sive in plateis sive in Ecclesiis, praeter lytanas omnium Sanctorum et Lauretanas, etiam pie recitarentur infrascriptae lytaniae de S. Nomine Jesu, quae typis latine et germanice in omnium manibus versantur et jam ante 40 annos in fasciculo quarundam Lytaniarum, ad instantiam Serenissimi Guilielmi Ducis Bavariae a Sede Apostolica approbatae fuerunt. Verum quia nonnulli Saeculares et etiam Regulares per Germaniam ediderunt, Romae has lytanas esse prohibitas, ac proinde incredibile scandalum oriatur, non modo apud Catholicos erga has lytanas summe affectos, sed multo magis apud haereticos, qui pessime hac de re loquuntur; ideo iidem Principes et Episcopi devovent et execrantur, ut huic tanto scandalo occurratur, supplicantes eidem S., ut has lytanas de nomine Jesu auctoritate Apostolica non solum confirmare, sed per publicum edictum toti Christianitati hoc calamitosissimo tempore singulariter commendare dignaretur.

Emi. P. S. R. Congreg. praepositi, re mature considerata, censuerunt: „Lytanas praedictas esse approbandas, si SS. placuerit.“ Die 14. Aprilis 1646. n. 1553. Lytaniae vero asservantur in Archivis Congregationis.

Ad dubium: Lytaniae ss. Nom. Jesu suntne approbatae indulgentisque ditatae? S. C. resp.: Negative in omnibus. Die 7. Sept. 1850 ad 8. In *Ruppell*.

MONACEN. ET FRISING.

Praeter Lytanas illas SS. Nominis Jesu, quas S. R. C. ad preces quorundam Episcoporum et Principum prae-

LYTANIAE SS. NOMINIS JESU.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus s. Deus,
S. Trinitas unus Deus,
Jesu, Fili Dei vivi,
Jesu, Splendor Patris,
Jesu, Candor lucis aeternae,
Jesu, Rex gloriae,
Jesu, Sol justitiae,
Jesu, Fili Mariae Virginis,
Jesu, amabilis,
Jesu, admirabilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, Pater futuri saeculi,
Jesu, magni consilii Angele,
Jesu, potentissime,
Jesu, patientissime,
Jesu, obedientissime,
Jesu, mitis et humilis corde,
Jesu, amator castitatis,
Jesu, amator noster,
Jesu, Deus pacis,
Jesu, auctor vitae,
Jesu, exemplar virtutum,
Jesu, zelator animarum,
Jesu, Deus noster,
Jesu, refugium nostrum,
Jesu, pater pauperum,
Jesu, thesaurus fidelium,
Jesu, bone pastor,
Jesu, lux vera,
Jesu, sapientia aeterna,
Jesu, bonitas infinita,
Jesu, via et vita nostra,
Jesu, gaudium angelorum,
Jesu, Rex Patriarcharum,
Jesu, Magister apostolorum,
Jesu, Doctor Evangelistarum,
Jesu, fortitudo Martyrum,
Jesu, lumen confessorum,
Jesu, puritas Virginum,

miserere nobis.

Jesu, corona Sanctorum omnium, miserere nobis.

Propitius esto, parce nobis Jesu.

Propitius esto, exaudi nos Jesu.

Ab omni malo,

Ab omni peccato,

Ab ira tua,

Ab insidiis diaboli,

A spiritu fornicationis,

A morte perpetua,

A neglectu inspirationum tuarum,
Per mysterium sanctae Incarnationis tuae

Per nativitatem tuam,

Per infantiam tuam,

Per divinissimam vitam tuam,

Per labores tuos,

Per agoniam et passionem tuam,

Per crucem et derelictionem tuam,

Per languores tuos,

Per mortem et sepulturam tuam,

Per resurrectionem tuam,

Per ascensionem tuam,

Per gaudia tua,

Per gloriam tuam,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
parce nobis, Jesu.

Agnus Dei, qui etc., exaudi nos, Jesu.

Agnus Dei, qui etc., miserere nobis, Jesu.

Jesu, audi nos.

Jesu, exaudi nos.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui dixisti: Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis: quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua nunquam laude cessemus.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et anorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Der Dom.

9) In Ordinationibus.

Vd.: *Ordinatio* (Lytaniae.)

libera nos, Jesu.

10) In Sabb. sancto.

a) Depositio Paramentorum.

Ad dubium: In Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes post benedictionem Fontis Archiepiscopus (Pisanus) cum Ministris paratis in Ecclesiam reversus ad Lytania procumbit super Fadistorio cum Pluviali et Mitra, Ministri vero ad ejus latera super cussinibus procumbunt, quin se exuerint Pluviali respective et Planetis plicatis. Ratio hujus consuetudinis Rubricarum dispositioni resistentis ex eo desumitur, quia non videtur decere eosdem Ministros procumbere in solo Amictu super Rochetto. Insuper Canonicus Missam celebraturus post Prophetias in Sacristia cum Diacono et Subdiacono Missae se recipit, neque ad Altare revertitur donec Lytaniae finem habeant, quibus, quum sint pars Officii et Missae hujus diei, ipse etiam interesse deberet. S. C. resp.: „Diaconus et Subdiaconus, ut praesto sint ad induendum Episcopum, quum dictum fuerit in Lytaniis: *Sancta Maria*, surgentes recedant ad Sacristiam, ubi depositis violaceis Planetis assumant Dalmaticam et Tunicellam albas, nec revertantur ad Altare, nisi quum, absolutis Lytaniis, solemnis inchoanda sit Missa.“ n. 4672 ad 20 die 12. Nov. 1837.

b) Recitatio.

Ad dubium: An non obstante Decreto diei 17. Aug. 1833 prohibente, ne in votiva aliqua Functione recitentur Lytaniae Sabbati S., possint Sanctimonialia Ord. s. Clarae retinere usum illas quotidie recitandi post Officium nocturnum cum tribus tantum Orationibus, *Deus cui proprium, Deus a quo sancta et: Omnipotens, qui vivorum etc.?*

Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt:

„Affirmative.“

Atque ita rescripsere. n. 5148 ad 7 die 7. Sept. 1850.

Ad dubium: 1) An extra occurrence Sabbati Sancti et Pentecostes possint in votiva aliqua Functione decantari Lytaniae, quae in praedictis Sabbatis canendae occurrunt? S. C. resp.: „Negative.“ n. 4714 ad 1 die 17. Aug. 1833.

Ad dubium: In Sabb. s. post benedictionem fontis baptism. in actu redeundi ad altare an liceat incipere lytania Om. SS. cantandas ante altare? S. C. resp.: Episcopo non praesente servandum Missale. Die 7. Sept. 1861.

11) Sanctorum Omn.

a) Additio illicita.

Vd.: *S. Bernardus; Instructio Clem. S. XXIV.* n. 19; *Lytaniae divers.* (decr. de die 23. Apr. 1860; *Lytan. B. V. M.* (add. illic. decr. 4578;) *Lytaniae major.*

In Lytaniis non posse apponi alios Sanctos praeter descriptos in ipsis Lytaniis. n. 906 die 8. Mart. 1631.

In Lytaniis, quae dicuntur in Ecclesiis Capucinatorum post matutinum et post nonam, non licet addere Nomina Sanctorum ultra expressa in Lytaniis, quae habentur in Breviario rom., ex eo, quod sint Sancti ejusdem Ordinis vel Patroni Provinciarum vel etiam ex devotione. n. 1708 ad 1 die 20. Junii 1654.

Ad petitionem: in Lytaniis Sanctorum nomen s. Prosperi, olim Episcopi Civium Regien. in Longobard., invocare, S. C. resp.: Nihil indulgendum esse. n. 1782 die 29. Jan. 1656.

Lytaniis non licere addere Sanctos in eis non expressos. n. 1999 die 2. Aug. 1659.

Ad petitionem Capucinatorum Lotharing: in Lytaniis, quas in suis Ecclesiis recitant, addere invocationes s. Josephi et s. Annae, intuitu singularis eorum ergo Sanctos praedictos devotionis, S. C. resp.: Lytaniae non esse alterandas. n. 2181 die 5. Aug. 1662.

In Lytaniis non possunt neque de-

bent addi nisi Sancti descripti in Martyrologio. n. 2345 ad 17 die 31. (Julii) 1665.

In Lytaniis nihil addendum, nisi doceatur de Privilegio seu licentia. S. R. C. n. 3025 ad 3 die 24. Julii 1683.

Ad dubium: An in Lytaniis Sanctorum, quae in Rogationibus praescribuntur vel ex devotione recitantur, non tamen in Sabbato S. et Vigilia Pentecosten, Sancte Pater Francisce, Sancta Mater Clara, Sancte Lazare, nomen Patroni loci addi possit? Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt:

„Non licere.“

Atque ita rescripsere. n. 5148 ad 6 die 7. Sept. 1850.

Regulares absque speciali privilegio, sola communicatione privileg. aliarum Religionum, non possunt addere nomen s. Fundatoris in Lytaniis et Confiteor. S. R. C. 20. Mart. 1706 (Bull. r. t. VIII. p. 434.)

b) Additio licita.

In Lytaniis Sanctorum pro diversitate functionum et temporum assignatis et in illis pro commend. animarum post nomen s. J. Bapt. statim adjungi debet illud s. Joseph, dicendo: *S. Joann. B., ora pro nobis; S. Joseph, ora pro nobis; Omnes ss. Patriarchae etc. Decretum Urbis et Orbis Benedicti XIII.* 19. Decb. 1726.

Vd.: *Lytaniae B. V. M.* (addit. illicita, decr. n. 4578.)

Usum Patrum Congreg. Oratorii s. Philippi Nerii Ulyssob. in Lytaniis Sanctorum addere nomen s. Philippi, eorum Patriarchae, posse tolerari. n. 2702 die 16. Junii 1674.

Ad dubium: Quum in multis Breviariis et Ritualibus in Lytaniis Sanctorum desiderentur preces pro arcendo

flagello terrae motus, peste, fame et bello; quaeritur: utrum recitari debeant et quo loco apponendae?

S. eadem C. R. . . . respondendum censuit:

„Affirmative et ponendas esse post versus: *A fulgure et tempestate.*“

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5111 ad 1.

Die 11. Sept. 1847.

MAGISTER CAEREMONIARUM.

(Electio, Gestus, Habitus, Munus.)

Vd.: *Caeremoniarius.*

Curabit Episcopus, ut duo, si fieri possit, de gremio suae Ecclesiae, aspectu et statura corporis convenienti et multo magis scientia et bonis moribus praediti, experti et dociles assumantur, *quorum primus* vigesimum quintum saltem attingat annum, sitque in Presbyterali ordine constitutus, bonis artibus instructus, et si fieri posset. juris Canonici vel Theologiae intelligentiam habeat, divinorum officiorum ac rituum Ecclesiasticorum assiduus et diligens perscrutator. Is erit in primis sollicitus circa personam Episcopi aliarumque personarum dignitate aut nobilitate praestantium, ut eis praesto sit, si quid petant aut si qua de re admonendi erunt; ac nihilominus omnia circumspiciat, singulorum munia perpendat. Quando autem erunt celebranda officia, quae non ita frequenter occurrunt, et quae solemniori ritu apparatusque peragi solent, praesertim quando ad ea accederent Magnates, ut Cardinales, Principes, Duces et similes, per diem aut plures dies antea praesens

c) Mutatio.

Ad dubium: An liceat in quodam Oratorio publico decantare Lytanas non integras sed abbreviatas et diminutas invocando aliquos ex Apost., nonnullos ex Martyribus et ita de Confessoribus et Virg. relinquendo prorsus alias preces, nempe: *Propitius esto etc.* cum sequentibus? S. C. resp.: Non licere. n. 2681 die 3. Mart. 1674.

M.

videat et intelligat, an omnia recte disposita et ordinata sint, quae ad celebrationem spectant, nempe an ecclesia, altare, abacus, sedes Pontificalis, Canonicorum Magistratuumque sedilia sint decenter apparatus ornataque; an cetera ad ipsius celebrationis actum necessaria, ut sacrae vestes, Paramenta et vasa, candelabra, cerei, funalia aliaque utensilia sunt suo quaeque loco praeparata et congrue disposita juxta normam et regulas Caeremonialis Episcopalis, nec gravetur aliquando (cum viderit necessarium) etiam suis manibus adjuvare ministros ceterosque omnes, quorum opera uti oportebit; praemoneat atque instruat, quos opus fuerit, exhibitis etiam shedulis, si quid enim erroris accidat, aut incaute fiat, ipsi uni caeremoniario imputari solet. *Alter vero junior*, qui saltem in sacro ordine sit constitutus, praecipuam curam geret circa personam celebrantis ac ministrorum illius; cumque opus erit aliquos ducere aut reducere, faciat id modeste et discrete submissa voce ac solo nutu, si fieri possit, quaecunque agenda sint, demonstrans; non discurrat velociter, non caput volvat aut manus jactet indecenter; caveat demum, ne in suis actibus affectationis vitio

notetur, sed quidquid aget, cum gravitate et congruenti mora ac cum decoro corporis gestu ita peragere curabit, ut caeteris devotionem et reverentiam pareat ipseque ab omnibus commendari mereatur; unus tamen alterius defectum, cum opus erit, modestia ac silentio corrigere et supplere studeat; ambo simul convenient, antequam in ipso rei gerendae actu sint; provideant, quae sint agenda, ac onera inter se partiantur, concordisque sint, ne reprehendi ab aliis jure possint, qui docere et instruere omnes debent. Satius est enim unum quam plures esse, nisi fuerint concordēs. Eorum *habitus* sit honestus et clericalis ipsaque vestis inferior, ubi commode fieri possit, coloris violacei, super quam, dum Divina officia celebrantur, cottam mundam induent. Ad eorum quoque officium spectabit, praesertim ubi non adest particularis Magister chori, curare ut intra Chorum nulla fiant colloquia, nec sint, qui risu aliove incomposito seu minus modesto actu rem Divinam turbent, non qui cum caeterorum scandalo dormiant, litteras aut alias scripturas legant, sed nec libros aut ipsum Breviarium aut Diurnum in manibus habeant, ut ex illis privatim horas aut orationes recitent, sed illas alta voce una cum Choro dicant aut cantent, et ad id librum habere permittantur; ne quis gestum aliquem ab aliis differentem demonstrat, ut, cum alii stant, aliquis sedeat vel genuflectat, vel e contra: sed detur opera, ut omnes uniformi ritu attente, devote et reverenter Divinis Mysteriis atque officiis assistere eaque toto cordis affectu admirari et contemplari videantur ac silentium diligenter servetur. Quae omnia ut sine contradictione quietius perficiantur, Episcopi cura erit, omnes tam Canonicos quam alios de choro praemonere, ut ipsis Caeremoniariis in his, quae ad cultum Divinum spectant, sine

contradictione obediant; nec tantum eorum verbis aquiescant, sed ut oculos in ipsos convertentes observent; et illico illius nutu aut levi aliquo signo vel intuitu, quod agendum sit, significantibus statim pareant.

Alia vera nonnulla, quae ad ipsum Caeremonarii officium spectant, velut thuribulum deferre ad Episcopum et ad altare, ducere et reducere Diaconum et Subdiaconum aliosque omnes tam majores quam minores ministros, quorum opera in re sacra aut alibi requiritur, inferius suis quaeque locis in operis cursu exponuntur.

Si ecclesia sit ampla et numero Clericorum ac beneficiatorum abundans, possent arbitrio Episcopi aut juxta consuetudines Ecclesiarum aliqui ex eisdem Ecclesiae gremio subministri adhiberi, qui in aliquibus casibus, tam in choro, quam extra ipsos Caeremonarios adjuvarent; velut indicendo silentium populo atque occurrendo, quoad valeret, tumultui et scandalis, quae forte in ipsa Ecclesia oriri possent; atque etiam circumspiciendo per totam Ecclesiam, ne quid indecenter fiat, neve extinguantur lampades et cerei, aut ne flamma ex Cereis ultra modum profluat vel quid indecorum super altaribus aut aliis in locis eveniat.

Item viros a mulieribus, cum commode fieri potest, distinguendo et separando, ordinem sessionum inter Laicos advertendo eosque admonendo, quando surgere, sedere vel genuflectere debeant, aliaque hujusmodi praeviendo et operando, prout opportunum erit; atque a dictis duobus Caeremonariis, cum opus erit, admonebuntur, quibus praeterea subditi et obedientes esse debeant, et ut ab omnibus cognoscantur eorumque officium commodius ac majori cum auctoritate exercere et exequi valeant, posset eis concedi usus aliquarum ferularum serico vel panno tectarum, cum aliquibus